

II.

Logographorum quae ferebantur scripta magna ex parte subditina uisa esse noto constat Dionysii Halicarnassensis testimonio de Thuc. 23 p. 864 οὔτε γὰρ διασφύζονται τῶν πλειόνων αἱ γραφαὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων οὔθ' αἱ διασφύζονται παρὰ πᾶσιν ὡς ἐκείνων οὔσαι τῶν ἀνδρῶν πιστεύονται ἐν αἷς εἶσιν αἱ τε Κάδμου τοῦ Μιλήσιου καὶ Ἀρισταίου (l. Ἀριστέου) τοῦ Προικοννησίου καὶ τῶν παραλλησίων τούτοις. Aristeas quae prosa oratione conscripsisse credebatur, non magis a quoquam lecta fuisse uidentur quam theogonia, cuius mentionem cum illis iungit Suidas u. Ἀριστέας· ἔγραψε δὲ οὗτος καὶ καταλογάδην θεογονίαν εἰς ἔπη α: ubi post καταλογάδην cum Kustero inserendum uidetur τινὰ καὶ. Cadmum ad utrum genus rettulerit Dionysius magis dubitari poterit: quamquam exstitisse libros eius nomine inscriptos fidem facere uidetur Diodori de Nilo narrantis indicium I, 37 οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Ἑλλάνικον καὶ Κάδμον, ἔτι δ' Ἑκαταῖον καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι παλαιοὶ παντάπασιν ὄντες εἰς τὰς μυθώδεις ἀποφάσεις ἀπέκλιναν. Veruntamen fueritne unquam Cadmus Milesius historicus ut iam antiquitus dubitatum esse Plinii indicant uerba hist. natur. V, 122 'nec fraudanda (Miletus) ciue Cadmo qui primus prosam orationem condere instituit', ita nostra memoria iustissimas mouit dubitationes Carolus Mueller histor. Graec. fragm. II p. 2 sq., qui ex Cadmo litterarum inuentore illum confictum esse existimauit. Cuius iudicium secuti sunt plurimi, impugnauerunt nuper, non refutauerunt Bergkius et Bernardus Heil (Logographis qui dicuntur num Herodotus usus esse uideatur p. 47 sqq.). Quorum ille etiam hoc Clementi Alexandrino Strom. VI, 2 p. 752 P. credidit, quod ipsum aliis maximam excitauit suspicionem, quae Cadmus uberiore narratione persecutus fuerit, ea in compendium coegisse Bionem Proconnesium neque quoniam hic Pherecydi Syrio aequalis fuisse traditur (Diog. Laert. III, 58), Cadmum in olympiadem quinquagesimam uel olim adeo in quadragesimam reicere dubitauit nimio interuallo artis historicae quae ipsi uidebantur primordia seiungens ab eorum logographorum temporibus, de quibus certiore fide constat. Heilius autem quod Phoenici